

Casentinates transiit, omnia populatione & terroribus complens. Accessit ad præsentem cladem alia pene major : quod Borſius Æſtenſis (in cujus acceſſum ob ingentem equitatum, quem ſecum habere dicebatur, Florentinus populus velut in unicam belli ſpem oculos conjecerat) ad Philippum ex ipſo itinere transiit. Sed Picinini res in He- truria haud jam inde tam ſecundæ fuere, quam ab initio fuerant. Nam ad Arretini agri anguſtias progreſſus, quum nunc in Senenſes, nunc in Pontificis res videretur impe- tum facturum, tam diu deliberabundus fortunæ curſum re- moratus eſt, donec Eugenii copiæ Arretium venere. Eo Urſinus quoque, Troilus, & alii cum robore exercitus paucis diebus conceſſerunt. Ille tantas ab hoſte vires com- paratas intelligens, ad Apennini radices ſe trepide re- cepit.